



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quod Paulus, cum ex Iudaea Romam vinctus ad purgandum se mißus erat,  
omni accusatione liberatus est. Cap. XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

adiungere. In quo libro fit mentio, quomodo Felice Iudæam gubernante, Apostolo Paulo (cum Iudæorū multitudo coniurationem cōtra eum fecisset) à tribuno plebis, Hierosolymis dictum sit: Nonne tu es ille Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? Sed de Felice hætenus.

*Quod Paulus, cum ex Iudæa Romam victus ad purgandum se missus erat, omni accusatione liberatus est. CAP. XXI.*

**H**ic vero, Neronis mādato, successit Festus: sub cuius præfectura cum Paulus ibi causam pro se egisset, victus Romam deducitur. Aristarchus comes illi aderat, quem in quodam loco epistolarum concaptiuū non immerito appellat. *Colos. 4.* Quinetiam Lucas, qui Acta Apostolorū literis prodidit, historiæ finem facit his fere verbis. Paulus biennio integro Romæ quietus ac liber commoratus est, & Dei verbum absq; impedimento prædicavit. Tandem verò, cū pro se in iudicio respondisset, traditum est eum ad euangelium passim prædicandum se de nouo recepisse. Ac postquam ciuitatem secundò aduenta uerat, beato martyrio extremum vitæ diem obiisse. Quo quidem tempore vinculis constrictus, secundam contexit ad Timotheum epistolam, in qua tum prioris causæ suæ defensionis, tum migrationis ex hac vita, quæ è vestigio insecuta est, mentionem facit. verum istarum rerū illius ipsius accipe testimonia dicentis: In prima mea defensione, nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt. Ne illis imputetur. Dominus autem mihi assistit, & cōfortauit me, vt per me prædicatio adimpleretur, & audirent omnes gentes: quia liberatus sum ex ore leonis. Quibus plane satis dilucide ostendit, quòd antea (vt prædicatio per illum perfecte expleretur) ereptus erat ex ore leonis. Atq; isto nomine, vt probabile est, Neronem propter animi crudelitatem nuncupauit. Ob eamq; ipsam causam nõ dissimile quiddã deinceps adiicit. Liberabit, inquit, me ex ore leonis. Nã sacro sancti spiritus instinctu exitū eius iam breui futurum præuidit. Ac propterea adiungit:

E 3 libera-

EVSEBII HISTORIAE

liberatus sum ex ore leonis: & illud: Liberabit me Dominus ab omni opere malo, seruabitq; in regnum suum celeste. In quo quidem suum mox futurum declarauit martyrium. Quod etiam planius in eadem epistola paulò ante prædixerat. Ego enim iam delibor, & tempus dissolutionis meæ instat. Iam vero in epistola ad Timotheum <sup>2. Tim. 4.</sup> secunda, Lucam solum illi, dum scribebat, adfuisse declarat: atq; in prioris defensione, ne istum quidem. Vnde re vera constat, Lucam de Actis apostolorum scribentem eo tempore finè fecisse: neq; ultra tempora, quibus cum Paulo versabatur, historiã deduxisse. Ista sunt eo animo à nobis commemorata, vt ostendamus Paulum non primo eius ad urbem Romam aduentu, què Lucas recenset, certamen cõfecisse martyrij. verisimile enim est, Neronem in principio imperij sui mitius mansuetiuitq; affectum, Pauli defensionem pro religione Christiana allatam benignius faciliusq; admisisse: verum cum ad nefandam & intolerabilem audaciam processisset, inter alia crudelia eius facinora, ea etiam, quæ contra Apostolos edebat, aggressum esse.

*Quo pacto Iacobus qui frater Domini appellabatur, martyrium passus sit. CAP. XXII.*

**I**Vdei ergo, cum Paulus prouocasset ad Cæsarem, & ad urbem Romam à Festo missus esset, spe penitus, qua cõfilium in eius necem comparassent, excidentes, in Iacobum fratrem Domini (cui ab Apostolis sedes episcopalis Hierosolymitana delata fuit) omnem suam malevolentiam conuertunt: contra quem ea scelera quæ sequuntur comparata fuere. Primum illum in mediũ adducunt, & vt fidem Christi coram omni populo deneget, vehementer sollicitant. Verum cum præter omnium opinionem liberiore ore voceq; quàm expectarent, præsentem vniuersa multitudine, filium Dei, seruatorem & Dominum nostrum Iesum, ingenue & fidenter confessus fuisset, hominis testimonium (nam propter summum sapientiæ & pietatis studiũ, quod in vita assidue excoluerat ab omnibus iustissimus putabatur) amplius tolerare non poterat.

Eum